

π h
267



K. 356



356,7.



JESU CHRISTO
Lumine Gentium Prælucente,

&
Amplissimo Senatu Philosophico in Academia Lipsiensium
indulgente

SCHEDIASMA

De

AVIBUS NOCTU
LUCENTIBUS,

sub Præsidio

Viri Clarissimi

Dn. M. JOACHIMI FELLERI,
P. L. C.

*Fautoris ac Sympatriotæ sui omni honoris cultu
prosequendi*

Publico Eruditorum Examini submittit

CORNELIUS Bogel / Cygn.

Die 21. Januarii Anno M. DC. LXIX.

LIPSIÆ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



14.



612

175

LESU CHRISTO
Lumine Gentium Prælucente

Amplissimo Senatus Philosophico in Academia Lipsiana
indulgente

SCHEDIAEMA

De

AVIBUS NOCTI
LUCENTIBUS.

sub Præsidio

Viri Clarissimi

DR. M. JOACHIMI FELLERI

P. L. C.

in auctoritate ac supplicata seu omni honoris cultu
prospiciendi

Publico Examinum Examini subactis

CORNELIUS BOGEL, Cygn.

Die xx. Januarii Anno M. DC. LXX.

LIPSIÆ,

Licetis JOHANNIS ERICII HANNII.



Decorative border and text from the adjacent page, including 'Lu', 'tit', 'tis', 'Ca', 'm', 'fo'.

623



BONIS AVIBUS

Aquilâ scilicet & Columbâ Cœlestibus!

§. 1.



Undus hic adspectabilis, ut ab ornatu non inconvenienter nomen habet; ita Luci & Luce præditis corporibus, quibus nullibi non distinctus est & variegatus, vel maximè debet ornatum suum.

§. 2.

Est autem in ipsis etiam luminosis corporibus concinnus quidam ordo, & ut sic loquar, gradualitas; quippe Cœlum, uti supremum est aliàs, ita supremum hîc etiam cum corporibus suis, quæ ex Luce primogenia creata & ipsa lumine variant, sibi locum vendicat; Secundum ab hoc ignis, cui & Meteora ignita sunt accensenda; & Tertium denique fulgentia, ut voce communi denotantur, quæ scilicet lumine quodam dotata sunt, sed eo perquam inbelli, ut non nisi in tenebris illud compareat.

§. 3.

Fulgentia hæc quod attinet, sistuntur ea in regno tum inanimatorum, tum animatorum.

§. 4.

Inter lapides Chrysolithus est, quippe quem Solino autore Lux celat, obscurum prodit, & Lychnites, qui & inde nomen sortitus est. Et hunc quidem Licetus cum Dionysio Afro adamantis speciem facit *Lib. 2. de Lucern. antiq. c. IV. fol. 55. & seqq*; Sed Carbunculum Anshelmus Boëtius de *Boot. lib. 2. de lapid. & gemmis c. IX.* Carbunculus aliàs à Sperlingio *Lib. 6. Instit. Physic. p. 956.* sic describitur; Carbunculus est gemma flammei coloris, quæ noctu



Et lumen instar ignis præbet, & inter omnes gemmas velut Sol existit. Pertinent huc lapilli, quos Romano Philosopho J. Cæsari la Galla in pyxide lignea contentos ostendit Galilæus Galilæi, & eos quidem clausâ fenestrâ prunarum accensarum instar fulgentes. Vid. Licet. l. c. f. 283.

§. 5.

Sed mirum non adeò est, gemmas quasdam etiam noctu lucere, cum lumine eas instructas nemo non videat. At illud non immeritò mireris, quod ea, quæ obscura interdium & minus lucida apparent, fulgentia in tenebris se exhibent, v. gr. fungi aridiores, ligna putrida, capita & squamæ piscium quorundam, carnes quasdam, conchæ nonnullæ, dactyli marini &c. Atque uti difficile est hujus Luminis rationem plausibilem quandam dare, ita certè cum aliis Naturæ mirandis paulò pensius considerari hoc argumentum meretur. Sed mihi jam ad alia properandum. Legatur interea, (ut digitum ad fontem intendam) eximius Peireskii, Musagetæ illius Gallici cum Julio Pacio de noctu lucentibus piscium squamis discursus apud Gassend. in vita Peireskii *Lib. 1. p. 84. 85.* ut & Thom. Barthol. *Cent. 1. ep. 82.* De Carnibus lucentibus bovinis & agninis vid. eundem Bartholin. *l. c. epl. 9.* & fusiùs *epist. 12. ad Fortun.* Licet. qui ex Aquapendente *Lib. 1. de Oculo cap. 4.* similia reponit. Adde etiam Schottum in *Physic. curios. fol. 1370.* de dactylis marinis Plin. *l. 9. c. 61.* & Zucchius in *Philosoph. Optic. c. 48.* Cæterum & in vitris lacrymalibus quibusdã in cryptis unã cum lucernis inventis etiam lucidi quid conspectum fuisse ex ore Manfredi Septalii refert Olaus Porrichius Chemicus Hafniensis in *Traçtat. de Ortu & Progressu Chæmiæ p. 1881.* qui & illud ex aliorum dictis enarrat, ex nitro diuturna patientia excocto non ita pridem Pragæ in officina Chæmici cujusdam corpus prodiisse, in tenebris & lucens, & splendorem suum aliquandiu frigido licet vase conservans.

§. 6.

Jam inter animata etiam non pauca, quæ noctu coruscant, inveniuntur. Sunt enim insecta, quæ lumen spargunt de nocte, v. gr. cicindelæ notissimæ, quæ & ideò noctiluçæ vocantur. Ubi non prætereundum Cucujo est, insecti generis animalculum in Inula novi Orbis Hispaniola. Id magnitudine articuluma digiti ferè

exa-

exæquat, quatuorqve habet alas, duas valde exiles, alteras duas majores, quibus exiliores cooperiat. Hoc de nocte, ut apud nos cicindelæ, lucet. Vis ejus luminis non tantum in oculis est, ignium modo stellantibus, sed quoque in lateribus. Hujus etiam animalis benignitate quodvis cubiculum obscurissima etiam nocte aded illuminari tradunt, ut legere quis in eo & scribere sine ulterius aliqujus luminis opere rectissime queat. It. si quis horum unum manibus ferat, tanquam ardentem facem cæteris sequentibus viam, noctu præmonstrat, referente Sebast. Schrötero *in America p. 981.* Dantur præterea & vermes lucentes, in ostreis quidem potissimum. De his vide epistolam Auzuti ad de Via, & hunc de iisdem Auzuto respondentem *in Tom. 11. part. 1. Ephemer. Eruditor. p. 169. seqq.*

§. 7.

Quid, quod in omni animalium genere quid lucidi effulgere compertum est. Et in piscibus quidem quid splendeat, jam indicatum est. Inter animalia terrestria cum primis feles ex oculis suis emittunt lumen, quemadmodum & illud de nigris felibus constat, quod ex iis adverso pilo vehementer fricatis scintillæ in tenebris evolent, quod quidem de equis etiam affirmat Ringelberg, *l. 1. Experiment. & Schottus l. c. p. 1213.*

§. 8.

Quin & inter homines reperias, quorum oculi in tenebris splendicant. De Tiberio Cæsare refert Svetonius *c. 68.* & Plinius *lib. 11. c. 37.* De Comitissa quadam Schenck, *in Observ. lib. 1.* Et tales fuere etiam Julius Cæsar & Josephus Scaligeri. Uterque enim habuit oculos *χαρωπὸς*, h. e. experrectis de nocte licuit videre, per horam vel amplius objecto non luce quidem clara, sed instar crepusculi, dicente Piccart. *Observ. Polit. Decad. 1. c. 7. p. 47.* De se autem Julius Cæsar testatur *Comment. L. 1. de histor. animal.* Josephus in Vita Patris & confutatione fabulæ Burdonianæ.

§. 9.

Sed annon & inter aves sunt noctulucentes? Nam de iis potissimum disquirere institui. Si Plinium consulas, Naturalis Historiæ Promum-Condum, en & aves Tibi noctu lucentes ostendit. Ita autem *Lib. X. cap. XLVII.* In Hercynio, inquit, Germaniæ saltu



inufitata genera alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus. Nec dissonat, qui in aliis etiam hunc ducem κτ̄ πὸδα sequitur, Solinus, dicens: Saltus Hercynius aves gignit, quarum pennæ per obscurum emicant, & perlucet, quamvis obtenta nox obtegat & denset tenebras. Unde homines loci illius plerumque nocturnos cursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, præjectisque (fortè profectiq;) per opaca collium rationem vix moderentur indicio plumarum fulgentium. Et hoc est, quod versibus etiam expressit Dionysius Afer:

*Saltibus Herciniis Germania subjacet atrox
Hæc tergo similis Taurino dicitur esse,
Et pascit volucres mirum fulgentibus alis
Quæis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.*

§. 10.

Verùm Hieronymus Presbyter, quamquam ipsemet quoque noctu lucentes aves commemorat, non eas tamen in Sylva Hercynia, sed suprâ Caucasum montem constituit inter Oceanum & Tanaïm, quæ nunc est Moscovia. Habet, inquit, ea regio aves Hyrcanicas, quarum pennæ nocte mira magnitudine collucent.

§. 11.

Possẽm hîc & aliorum de avibus dictis testimonia afferre, Sed fontem cum habeamus, cur decurrendum ad rivus, præsertim non limpidos imò luto mendaciorum sic fatis turbatos? Inquiram potius breviter, quid de avibus his ipsis ex veritate sit judicandum, idque pro ingenii mei viriculis, quando nec Salmasii Lectiones Plinianas, nec alios, qui materiam hanc ex professo tractarunt fortean, inspicere datum est.

§. 12.

Dari aves noctu lucentes vel inde non absurde colligere, quis queat, quod in aliis etiam, quæ vidimus, animantium generibus, imò in ipsis inanimatis fulgentia hæc talia inveniantur. Et cum ex natatilibus quædam, quædam ex terrestribus hoc veluti privilegio præ cæteris gaudeant, quidni & certa species volatili-um? Sanè injuriam quodammodo naturam in solas aves quis dixerit, si non illis quoque noctilucum splendorem aliquem indulserit.

§. 13.

§. 13.

Verum enim verò, cum hæc tota assertio Pliniana experientis nitatur, ab iisdem etiam, certitudinem petamus necesse est. Quid autem experientia de avibus noctu lucentibus? Tacet, quia nusquam ac nunquam conspexit.

§. 14.

Præter *αιωνυμια* id statim rem fatis suspectam reddit, quod ex Plinio tanquam ex fonte promanat. Nam Plinius quot & quanta mendaciorum portenta dedit pro veris, utpote de longinquis & incompetis, nullo certo autore vel ratione, sed fama afferente, sic prodita, e. gr. refert Plinius homines unoculos, homines averfis post crura plantis, utriusq; sexus. it. capitibus caninis, octonorum in pedibus digitorum, singulorum crurum & laterum pedum, sine capite & voce, sine naribus, sine ore, caudis villosis, auribus ad pedes usque propendulis, bifulcis lingvis &c. sed refert falsissima, quandoquidem Mercatores nihil tale quid in regionibus illis conspexerunt. V. Merula p. 1. *Cosmogr. lib. III. f. 152, 153.* ubi hæc omnia fuse displodit, & Wovverius in *Polymath. c. XI. p. 103. seqq.* Adde Olearium in Itinerario Persico fol. 189, ubi non absone errorum quorundam occasionem collegit.

§. 15.

In Historia avium certè & plurima alia retulit *αμυσυ*, & experientia prorsus adversa. Nam de Gryphibus quæ tradidit cum aliis antiquis, & falsa docuit jam olim Arrianus in rebus gestis Alexandri M. & hodiè Eruditorum Orbis deridet. Et quid aves Stymphalides? quid Selcucida ab eo relata, nisi cerebrina aut conficta? V. Aldrovand. *Ornithol. Lib. X. de avibus fabulosis fol. 304. seqq.* Et tales videntur quoque noctu lucentes Hercynia.

§. 16.

Sed ipsa Plinii verba examinemus. Is in Hercynio Germania saltu has aves collocat. Et primò quidem non vidisse, sed ab aliis se accepisse illud fatetur, quod Lectorem utique subdubitantem potest reddere. Deinde de Sylva Hercynia ex Veteribus autoribus notandum, eam quondam per omnem Germaniæ continentem diffusam fuisse, quippe, cujus pars non ea tantummodo fuit Sylva, quæ hodiè unà cum montium jugo, cui superfusa, ab austrino Brun-

§. 13.



Brunsvicensis ducatus latere, vulgò der Harz dicitur, sed & alix etiam per Germaniam sylvæ, ut inter Danubii fontem & lacum Brigantinum, vulgò der Schwarzwald/inter Noribergam & Tuberi amnis fontem der Anspacher Wald/inter Herbipolim & Bambergam, der Stenger Wald/inter Nicrum & Mœnum amnes, sive inter Heidelbergam ac Francofurtum der Ober Wald/inter Mœnum ac Bintium der Spasserd/inter Lonam & Segum amnes der Westerwald/in Thuringia, der Thüringer Wald/apud Bojohæmum der Böhmer Wald/ac versus Septentrionem Westphalia, Lüneburgensis Ducatus, Pomerania, Marchia Brandenburgensis & Casubia, quippe magnis, asperis, horridisque saltibus ferè totæ squalentes. V. Cluver. *de German. Antiqua lib. III. c. XLVII. fol. 706.* Jam per tot secula in hunc usque diem in nullâ sylvarum harum, quæ noctu tamen à Venatoribus ac vectoribus sunt perreptatæ, nihil avium lucentium conspectum fuit. Nihil enim de iis Hodæporica, nihil Ornithologi rerum talium diligentissimi indagatores, nihil experientia hodierna.

§. 17.

Eqvidem eas Germaniâ pulsas cum sylvarum excidio quis putet, non aliter ac feræ à Cæsare *Lib. VI. Plinio lib. VIII. c. XV. Solino c. XXIII.* recensitæ, quæ nunquam hodiè in Germania, at in Prussia tamen, Litavia & Moscovia, quo sylvæ Hercynia extensa est, adhuc dum visuntur. Verùm nec Moscovia tale quid avium ostendit hodiè, quæ tamen à Germanis nostris frequentata sic satis fuit. Sed forsitan in alium orbem transvolarunt? Imò verò reversas dixeris in Utopiam, in qua fuerunt exclusæ.

§. 18.

Sed ecce! aliter in Plinium commentantem Dalechampium, *Eæ, inquit (nempe aves Hercyniæ) sunt Garruli Bohemici Gesneri, quorum pennæ in summa cauda luteæ, in extremis pennis cocco nitentes, sublustri nocte lucent.* Consentiant & alii penes Aldrovand. *Lib. XII. Ornithol. fol. 395.* Bohemici dicuntur, quia Bohemis fortean peculiare: quod & ipsum sententiam hanc plausibiliorem reddit, cum Bohemica sylvæ ex dictis pro sylvæ Hercyniæ parte sit agnoscenda. Verùm succurrit hîc nobis Aldrovandus ipse, incomparabilis experientiæ Ornithologus: *Hallucinantur, inquit, qui* (Garru-

(Garrulum Bohemicum, quem Ampelidem vocat) avem Hercynia sylva
dictam putarunt. Pennae enim nostrae ampelidis in tenebris ignium
modo minimè collucent, quod de Hercynia sylva ave Plinium & Soli-
num aves referre diximus. Quod si verò maculas illas alarum, & cau-
dae extremitatum luteas, egregium splendorem edere quispiam curiosus
objiceret, is tamen noctu lucere minimè dixerit, ut proprio periculo do-
mū meae sapius expertus fui, ubi tribus ferè mensibus vivam alui, & vel
quavis nocte contemplatus sum.

§. 19.

At denuò tamen, qui succurrebat nuper, rem dubiam vide-
tur facere Aldrovandus. Sic enim pergit: Ornithologus Germanus
quendam, cum hujus avis historiam scriberet, sibi narrasse refert, in
patriae suae Votlandiae Bohemis vicinae sylvis, avem quandam vidis-
se Turdi minoris magnitudine, colore partim caeruleo, partim aureo,
sive Croceo, quam noctu lucere fama esset; se tamen neque lucentem,
vidisse, neque nomen nosse; quod si verum est, ea Hercynia sylva avis di-
ci poterit. Sed testem oculatum desidero, quem pluris aestimabo,
quam decem auritos. Et quid fama interdum fallacius? Vide-
mus praeterea & alias aves colore croceo praestantes, at illas tamen
non ideo noctu fulgentes videmus. Sed demus tandem, quod ta-
men compertum satis non est, in Variscis avibus quid lucidi ap-
paruisse, quis tantum lucis ab illis diffundi credat, ut, quod Solinus
addit, homines loci illius nocturnos excursus harum avium operâ
destinarint, iisdemque ad itineris dirigendi praesidium uti potue-
rint. Res ficta videlicet globo niveo non dispar est, qui, quo diuti-
us volvitur, eo major evadit. Dixerat Plinius has aves modò igni-
um collucere. En Solinus, ne addere nihil videatur, ex iis flagrantis-
simas faces facit. Sed ego non credulus illis.

§. 20.

Fabulis potius adscripserim cum Wovverio l. c. quicquid de noctu
lucentibus volucris proditum est. A quâ etiam sententia Cluve-
rius l. c. non alienus est. Nec roboris quid affert relationi Hie-
ronymi Presbyteri testimonium supra adjunctum, utpote, quod ex
Aethici Scythae, fabulosissimi auctoris Cosmographia depromptum
est. Quod si autem ineptissimae huic Cosmographiae credendum
sit, per Hercynium saltum sylvas eas intellexit, quae continent

B Ger-

alia
cum
Tu-
&
nes,
ter,
anes
jo-
pha-
bur-
s fo-
VII.
rum
erre-
de iis
i in-
tet,
olino
russia
, ad-
endit
. Sed
xeris
ium,
fneri,
entes,
. Lib.
n pe-
dit,
gno-
mpa-
, qui
arru-



Germanico Hercyniæ saltui per Sarmatiam ad finem usque Euro-
pæ spargebantur. Ego verò concludam verbis Michovii, quibus
in Sarmat. Asiana de Gryphibus utitur: *Ego sane contra Veteres
autores (aves noctu lucentes) nec in illa Septentrionis, nec in aliis or-
bis partibus inuenti affirmaverim &c.*

CORONIDES.

E.

Quamquam terram avium productricem censeo, cum ex-
presse Gen. 2. v. 19. aves de terra productæ dicantur, non
omnimodè tamen repugnaverim, aves etiam ex fructibus
arborum in mare delapsis produci posse, tum ob multorum
de anatibus Scotis ocularem fidem, tum quod mures per-
fecta animalia ex lignis putridis gigni compertum est. De
hisce non ita pridem D. Medicus Altorffinus ad Amicum No-
ribergensem perscripsit fusè, ubi inter alia fidem facientia
hæc habet: Hoc verissimum esse, plurimis Dn. Contuberna-
lium testimoniis, si opus, confirmare possem, quin audio ad-
huc quasi clamantem famulum nostrum: *Ihr Herren/wir
haben wieder eine hölzerne Nauß/ o es stinckt wie der Teu-
fel. Caterum & illud addo, quod legi in Itinerario Sinensi
Neubosii non ita pridem edito p. 161. Zehen Meilen von der
Stadt Tachu (in China) ist ein sehr tiefer Psuel. Vo genen-
net/ verhanden/ dessen Wasser die drinnen gewesenen Steine
ganz blutfärbig machet/ und alle Blätter so darein gefallen
von umstehenden Bäumen/ zu lebendigen und fliegendem
Schwalben werden. &c.*

II. Circa Festum Pentecostes in plurimis Germania locis co-
lumbam ex ligno factam bombardis Civis publici exercitiū
& letitiæ loco petere consueverunt, quod etiam Grecis
gentilibus olim inter certamina se sagittis exercendi fuisse
notat Dictys Crrretensis lib. III. bell. Troj. à Diabolo apud
Christianos renovatum in ludibrium Spiritus S., qui in si-
militu-

62

militudine columbae in Apostolos eo tempore effusus fuit. Ita
Eoccenius in Antiq. Sveo. Goth. c. V. p. 31. 32. Ego in lu-
dibrium Spiritus S. hunc morem renovatum non puto (1)
quia antiquissimus, ut ex Dicty Cretenfi & Virgilio etiam
patet, (2) quia Ciconiam magis vel majorem aliam ex-
quat avis ejusmodi lignea, (3) quia aliud animal, piscem,
scil. vel bovem in aere constitui non convenit, (4) quia
saltem conjicitur, nullibi legitur, hunc morem in ludibrium
Spiritus S. renovatum.

III. Pulli Gallinarum quomodo in Aegypto excludantur, vi-
de apud Busbeq. epist. pag. 130. Ego pullitiam hanc pro ar-
cano, eoque non aliis sat detecto artificio habeo. Et quis Gre-
corum mumias imitari didicit? quis pullitiam? quis
Chordas Memnonis? Quis Danus in Moscovia pere-
grinator modum temperandi coria Russica incolis ex-
torsit? quis advena Gobelinos? Parisienses ad nobilem
serici panniq; tincturam aperiendam potuit hucusq; per-
movere? quin & gratum illum chirothecarum Romana-
rum odorem scrutantibus exteris hodieq; inimitabilem red-
didit artificum taciturnitas. Ita Porricbius in Tract. de
ortu & progress. Chemia. p. 73. At Caelo tamen & terra
illius ingenio non parum hac in re tribuendum.

IV. Avem prodigiosa magnitudinis nomine Ruch, qui ele-
phantum per aera gestet, & cujus una penna 90 spithama-
rum longitudine, & 2 spithamorum crassitie fuerit, com-
memorat Paulus Venetus l. 3. c. 40. Ego hanc Gryphibus &
aliis fabulosis avibus conjungendam puto.

V. Suum esse & brutis sermonem Plutarchus & Porphy-
rius astruxerunt, aviumque colloquutiones Melampus,
Pythagoras, Apollonius se probe intelligere, atq; interpreta-
ri posse profitebantur. Vid. Baltbas. in Histor. Ludicr. c.
XIII. p. 57. Ego uti sermonem analogum quendam avibus

non

Gr
267

non abjudico, ita non nisi Magos in eo callidos esse arbitror
cum Besoldo. II. Polit. p. 87.

VI. Avium in arte Heraldica & insignis admodum & frequentissimus usus est. In insignibus Sereniss. Familiae Saxon. & quidem in cuspide Scuti Gallina nigra Hennebergicum Principatum denotat ad Saxonas delatum. Petrus Albinus Chron. Misn. L. 1. Tit. 15. p. 200. Mann sagt von Churfürst Friedrich den Dritten/ so oft er seine Ahnen habe mahlen lassen/ habe er zu Lucassen Kranachen den Eltern gesagt: Er sol ihn ja die Henne fleißig mahlen/denn sie habe den Fürsten zu Sachsen ein gut Ey geleyet. Nec culpandum hoc insigne (quod Galli quidam faciunt) quod naturale vel materiale, vel ut Harsdorffer in Gespräch sp. redend od Nahm-wappen. Aliàs enim multa familiarum Galliae, Hispaniae, Italiae, Germaniae, Angliae, insignia culpanda forent. V. Spenerus in Insignibus Saxon. p. 30.

Noscitur ex plumis, ex cantu noscitur ales
Ex voce & facie noscitur omnis homo.

Novimus & quis Tu. Moldæ Tua Cantio quondam,
Hactenus at Plissæ Cantio nota tua est.

Nimirum dulcis Tua vox, mens ipsaque plumas
Vincit glorias, quippe videris OLOR.

Euge tuum radiis Cygnum digneris Apollo,
Et dabitur volucris nocte dieque micans.

boni ominis ergo

VOGELIO SUO

sic applaudebar
properab.

PRÆSES.



nc



trov
fre-
xon.
icum
inus
fürst
hlen
Er
ersten
insi-
ate-
hm-
nia,
V.

Pou Ts 267 QK

ULB Halle

3

002 455 579



BC : OWS

1077





356,7.

Lun
Amplissimo S

AVI
L

Dn. M.

Fautor

Co

cente,
nia Lipsiensium

A
CTU
S,

LLERI,


noris caltæ

ittit
Cygn.
X.

II s
267

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

14.



KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000
Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

